



Bodleian Libraries

UNIVERSITY OF OXFORD

This book is part of the collection held by the Bodleian Libraries and scanned by Google, Inc. for the Google Books Library Project.

For more information see:

<http://www.bodleian.ox.ac.uk/dbooks>



This work is licensed under a Creative Commons Attribution-NonCommercial-ShareAlike 2.0 UK: England & Wales (CC BY-NC-SA 2.0) licence.

TRACTATUS MEDICUS,
INAUGURALIS,
QUÆDAM DE

Diaeta, seu Materia Diaetetica,
*Ipsiusque in Corpus et in Mentem Effectibus
complectens.*

QUEM,
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,
D. GULIELMI ROBERTSON, S.S.T.P.
ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;

NEC NON
Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,
Et nobilissimae FACULTATIS MEDICÆ decreto,
PRO GRADU DOCTORIS,
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit
THOMAS BELL,
HIBERNUS,

Ad diem 12. Septembris, hora locoque solitis.

χαλεπὸν ἐστὶν πρὸς γαστέρα λεγεῖν ὡτὰ οὐκ ἔχουσιν.

PLUTARCHI vita Catonis Censoris.

EDINBURGI:
Apud BALFOUR et SMELLIE,
Academiae Typographos.

M,DCC,LXXXIII.



RICHARDO SHACKLETON,

DE BALLITORE,

THOMAS BELL,

SALUTEM.

*Accipias, praeceptorum optime et amicorum devotissime,
primum hocce meum in re medica tentamen, amoris inteme-
rati testimonium utut parvum; neque ullam aliam ob cau-
sam attentionem sibi tuam vindicare potest, nisi quatenus ab
animo tibi educto, et curae plusquam ferme paternae, haud-
quaquam immemori, offeratur.*

Dabam EDINAE,
Prid. Id. Septemb.

1870

1871

1872

1873

1874

1875

I N D E X.

P A R S P R I M A.

De victu solido. pag. 10

- S E C T. I. *De quaestione, utrum necne Homo animal carnivorum destinatus fuerit?* 11
- II. *De facultatibus animalis et vegetabilis victus diversis.* 14
- III. *De Lacte.* 18
- IV. *De Piscium carne.* 20
- V. *De varia ciborum diversorum conditione in ventriculo et tubo intestinali.* 22
- VI. *De diversis diversis victus effectibus in sanguinem.* 26
- VII. *De Nutrimenti in diversis cibis quantitate, quibus haec diversitas pendeat, &c.* 28
- VIII. *De manducatione.* 31
- IX. *De praeparatione ciborum coquina, &c. &c.* 32

P A R S

I N D E X.

P A R S II.

De potu. pag. 36

SECT. I. <i>De aqua</i>	37
II. <i>De liquoribus fermentatis.</i>	38
III. <i>De spiritu destillato.</i>	40
IV. <i>De Thea.</i>	ib
V. <i>De Coffea.</i>	42
VI. <i>De Cacao.</i>	43

P A R S III.

De cibi diversi in mentem effectibus. 44

TRACTATUS MEDICUS,

INAUGURALIS,

DE

Diaeta, seu Materia Diaetetica.

VOX diaeta, sensu assumpta latiori, totum vitae regimen seu rationem, quoad sex non naturalia (minus recte sic appellata) aëra, cibum et potum, somnum et vigiliam, retenta et excreta, apud nonnullos amplexa est.

Sensu autem arctiore, diaeta ad alimentum, sive solidum sive fluidum, refertur, quod rectius, me iudice, materia diaetetica nuncupari potest; hoc sermone, quippe qui rationi maxime consentaneus videatur, uti mihi liceat.

Hujus medicinae partis utilitati immorari supervacaneum duco; cum satis luculenter pateat, impensa huic debita attentione, non solum sanitatem conservari et morbos praecaveri, ve-

†

A

rum

rum etiam praesentes morbos, sine alia quavis medicorum ope, depelli et curari posse.

P A R S P R I M A.

De victu solido.

ALIMENTUM solidum complectitur cibum animale et vegetabilem, necnon qui utriusque qualitatibus gaudeat. Cibus quidem omnigenus, si veram originem spectemus, ex vegetabilibus deducitur, sicque videmus omnis alimenti principia iis inhaerere; tantas autem mutationes subeunt, ut facultates induant, ab iis quibus statu priori potiebantur, prorsus diversas: Constat tamen, animalia qualitatibus cibi, quo vescuntur, non parum imbui.

Vegetabilia alimentum solummodo suppeditare hoc adversari videtur, quod pisces, quatenus nobis liquet, sese mutuo devorant; nequaquam autem nobis innotescit horum maxime debiles et exiguos nutrimentum ex regno vegetabili non derivare.

S E C T I O P R I M A.

Utrum necne Homo animal carnivorum destinatus fuerit ?

ANTEQUAM varias alimenti facultates indagare progrediar, quaestio venit obvia, utrum scilicet hominem animali aut vegetabili cibo vesci natura destinaverit ?

Plurimi philosophi nominis haud mediocris, et vetustiores et recentiores, illos inter stat Pythagoras ipsiusque discipuli, inter hos autem Brachmanni Indici, Pythagoram ipsum secuti, asserunt, hominem folis vegetabilibus vesci destinatum, sic primum vixisse hominem, minores autem luxuria perverfos ad cibum animale confugisse.

Neque haec opinio fautoribus medicis caruit ; ipsam enim praecipue Doctor Wallis, ex structura dentium canalisque alimentarii, stabilire conatur. Ille advertit, dentes molares et colon amplum, caeco vel quovis alio simili ad superiorem partem instructum, semper adesse in animalibus diaetam solum vegetabilem usurpare solitis ;

folitis; cum autem haec ipsa in homine inveni-
antur, esse cur concludamus hominem a natura
carnivorum animal non destinatum.

Structuram dentium canalisque alimentarii
minus recte ad suffulciendam opinionem attulit
Doctore Wallis. Dentes hominum incisores
similes sunt animalium carnivororum incisori-
bus: Ventriculi structura eadem est in homine
ac in carnivoris: Intestina mediae sunt longitu-
dinis pro carnivororum et herbivororum intesti-
nis: Neque animalia carnivora colo et caeco
destituuntur, neque omnia sunt carnivora quae
hiscie partibus gaudent: Opossum habet et cae-
cum et colon, pullis tamen aliaque carne pasci-
tur; dum erinaceus, cui neque est colon neque
caecum, folis vegetabilibus vivit: Porci utrisque
instructi carnem vorant, atque forices et mures,
quibus sunt caeca ampla, carne et caseo praeden-
tur. Etiam si nullius esset momenti structura,
adjici potest, quod, si natura hominem folis ve-
getabilibus vivere decrevisset, nonnulli homines,
secundum naturam degentes, inveniri debent
qui victum animale recusarent; id adhuc ta-
men minime est compertum: Hoc instinctus ar-
gumentum nequaquam omittendum spectare o-
portet.

Quod

Quod Pythagoram ipsiusque discipulos et Brachmannos spectat, nil est cur opiniones reformatorem levium refellere coner, quippe qui novarum rerum cupidine capti, vel falsis ideis perfectioris naturae humanae imbuti, hypotheses, neque rationi neque experientiae innixas, in medium protulerint. Huic vitae rationi dediti, qui suis se regulis stricte conformaverunt (quod quidem omnes nequaquam fecere) miserrima extitere exempla quam fallacia sint ea principia, quae nihilominus adeo sibi constare homines persuasos vellent.

Ratione, analogia, omniumque more hominum constat, alterutro penitus abstinere perniciosum esse, nec minus in hac quam in plerisque controversiis verum, inter extrema medio rectum esse positum. Aequè enim verum est, nullos hominum in orbe terrarum cibo vegetabili omnino abstinere, ac nullos eo ipso penitus nutriri: Ipsi Pythagorici lac usurpabant, quod vegetabilem una cum animali naturam participat, atque Laponicos, qui cibo prorsus animali vivere dicebantur, jam ex scriptis clarissimi Linnaei patet, multis (praeter lac) plantarum generibus pasci, quo malis effectibus animalis cibi integri usus occurrant.

S E C T.

S E C T. II.

De facultatibus animalis et vegetabilis victus diversis.

NUNC autem quaestio oritur, in quibus inter sese discrepent? Cibus animalis nutrimentum certe magis densae qualitatis quam vegetabilis suppeditat. Sanctorius ait, “Pondus addit robur;” quod celeberrimus Cullenus exponit plenitudine vasorum, ac proinde recto tensionis gradu inducto, ita ut eo fatius oscillationibus fungantur propriis.

Cibus vegetabilis systema minus firmat, atque tenuem plerumque corporis habitum inducit, uti Hallerus de semet ipso observat, “Saepe
 “tentavi victum vegetabilem ob podagram, ob
 “bilem putrescibilem, quae faciebat ut carnes
 “non ferrem absque agrypnia: Semper sensi
 “debilitatum universon corpus, ad laborem,
 “ad venerem, invitius.”

Haec virium diversitas cibo animali et vegetabili producta optime antiquis innotuit, quorum athletae, secundum Galenum et Athenaeum, carne fere prorsus vescerantur, experti quam pa-
 rum

rum valerent vegetabilia (etsi primo ficus quae inter maxime nutrientia sunt, usurpaverant,) ad eam agilitatem roburque gignendum, quibus hi viri tantum insigniti fuere. Quotidiana etiam experientia docet, quanto melius, qui victus animalis larga quantitate indulgent, labores perferre possint.

Hoc autem alimenti genus, etsi vires majores praebeat, corpus tamen hebetat; hinc itaque ampla quantitas solummodo convenit iis qui multum exercitationis usurpant: De iis etiam observat Hippocrates, “ habitum athleticum maximis “ patere periculis.” In omnibus enim casibus victus animalis excessus corpori (ut nil de effectibus in mentem dicam) incommodus est, quippe qui languorem et inertiam gignat, plethoram, et innumera inde oritura mala, inducat; stimulat, febrem excitat, sic impetum sanguinis adauget et perspirationem promovet; systema autem, repetitis hisce stimulis, cito exhauritur, atque homo hac vivendi ratione usus, saepe intempestive cadit morbis inflammatoriis; atque etiam si exercitationem sibi, adeo ut victus interim esset salutiferus, assumpserit, fluida putrescentia indices accumulatur, quae morborum olim fundamentum jacere possint.

Quoad

Quoad cibi vegetabilis excessum, praecipuum est incommodum quod difficilius assimiletur. In regionibus calidis assimilatu est facilius, et qui has incolunt satis bene ejus excessum tolerare possunt; exercitatione quoque conjunctus vires et vigorem haud mediocrem suppeditat; neque defunt exempla hominum robore insigniter potentium, quorum materia diaetetica ex vegetabilibus praecipue constaret, etsi quam in contrario casu rariora.

Praeterea, cibus vegetabilis magis ampla quantitate quam animalis assumi potest, quod defectum qualitatis nutrientis quodammodo supplere queat: Neque non compertum est, ventriculum ad certum gradum statutis implere intervallis necesse evadere, non solum ut partes corporis attritae suppleantur, verum etiam ut fibris ventriculi muscularibus, ac proinde partibus sympathice nexis, recta tensio indatur.

Haudquaquam videtur nimium cibi vegetabilis usum malos effectus in systema sanguiferum (uti a nonnullis creditum est) edere; restat enim probandum, ullam acrimoniam peculiarem in iis ex hoc fonte procreari, atque sine summa inertia et cibi appetitu maximo plethoram, et
mala

mala inde oriunda vix ac ne vix quidem inducere potest.

Diverſa inter vegetabilia diſcrimen inſtituere oportet; acriora, niſi velut condimenta aut aromata, ad cibum parum conveniunt, ideoque repudiantur. Blanda et dulcia maximam victus noſtri partem conſtituunt; ſi quando autem alia uſurpemus, ſemper præviam adhibemus coquendi vel huiusmodi præparationem: Poſteriora hæc, utpote in corpus fortiori modo agentia, conſilio medicinali plerumque adhibentur.

Qualitatibus variis cibi vegetabilis et animalis, atque eorum effectibus rite perpensis, concludere fas eſt, ampla prioris quantitate plerisque hominibus opus eſſe: Huius autem idonea quantitas, pro ætate, temperamento, morbis, regione, et anni tempeſtate ſtatuenda, neque negligenda conſuetudo. Horum nulla hic loci fatiſ plene diſceptari poſſunt; quæ tamen omnia, ſi eorum quæ comitantur recta ratio habeatur, perito medico fatiſ clare patebunt. Dixiſſe ſufficiat, quoad ætatem, nequaquam opus eſſe pueris ſuppeterere valentem admodum cibum: Statu autem virili, quando munera vitæ graviora ſuſcipere cogimur, cibi magis valentis et roborantis egemus; atque ætate provectiore, ubi func-tio

†

B

digestiva

digestiva huic processui impar quodammodo evadit, victus, qui nutrimenti multum in parvo continet, praeponendus; namque vesperi vitae cibo nutriente refici postulat labefacta senectus.

S E C T. III.

De Lacte.

Substantiam, quasi natura duce, quae qualitates cibi vegetabilis et animalis una possideat, lac nimirum, petimus.

Hoc fluidum plus vegetabilis quam animalis indolis participare videtur; omnes enim unde conflatur partes (si portionem coagulabilem, lymphae sanguinis coagulabili confimilem, excipias) per vegetabiles productus imitari possumus. Partes componentes sunt coagulabilis, oleosa, et aquosa; vel caseus, butyrum et serum; haec autem seorsim nequaquam sunt adeo pura ut singula paululum reliquorum non contineant. Nonnulli crediderunt, lac, utpote chylum tam exacte referens, propria forma assimilari, nec ei digestionem opus esse; experientia autem probat;

lac

lac in ventriculo decomponi, coagulari, et acere.

Lactis diverſi analyſin ex ingenioſi Doctoris Young diſſertatione mutuare liceat, quae, quale diverſis caſibus conveniat, optime oſtendet.

Maximam cremoris, caſei, et ſeri quantitatem pro ordine ſequenti continent,

<i>Cremoris.</i>	<i>Caſei.</i>	<i>Seri.</i>	<i>Reſidui.</i>	<i>Grana.</i>
Ovillum	Ovillum	Aſinum		
Vaccinum	Caprinum	Humanum	Caprinum	259
Humanum	Vaccinum	Equinum	Vaccinum	212
Caprinum	Equinum	Vaccinum	Aſinum	198
Aſinum	Humanum	Caprinum	Humanum	194
Equinum	Aſinum	Ovillum	Equinum	168

Auctor jure celebris ſupra memoratus, ex alatis experimentis, concludit, lac animalium non ruminantium haud tam facile ingeſtorum indole, quam ruminantium, imbui.

Lac in ventriculo nonnunquam ſolet nimis fortiter coagulari, quo caſu nil, paululo ſacchari addito, magis prodeſt, quod partes diverſas intime commiſcet, et ne ab invicem diſjungantur cavet.

Omnes lactis partes componentes materiam diaeticam ingrediuntur, praecipue vero cremor

mor et caseus. Prior, velut a lacte forma naturali segregatur, facile acefcit et rancidus evadit, ac proinde miftu difficilis: Butyri forma olei magis puri ftatu invenitur, atque cum farinaceis apte prorfus conjungitur; fic enim nucum oleofarum naturam quodammodo induit miftura: Butyrum vero ipfum citius oleo olivarum ruit in putredinem. Caseus eft perquam infolubilis, qui autem pinguior, folutu eft facilior. Plerumque fupputatur caseum effe condimentum, pro certo fic fe habet quando ad putredinem, nequaquam autem antea, appropinquat. Serum in fanitate raro adhibetur; in morbis vero diluens eft gratiffimum, et qualitatis lactis nutritivae portionem haud mediocrem continet.

S E C T. IV.

De Pifcium carne.

HÆC alimenti fpecies cibum vegetabilem inter et animale medium tenere locum videtur. Putredini minus quam caro terreftrium animalium obnoxia eft, et corpus minus firmat. Hoc
 experiuntur

experiuntur Romanae ecclesiae cultui dediti, quorum pars praecipua per jejunia statutâ piscibus vescuntur, idem quoque constat apud Banyannos orientales. Apud nonnullos medicos creditum est, inter quantitatem nutrimenti a diversis piscibus suppleti ex colore discrimen institui posse; eorum nempe rubrum colorem ad indolem cibi animalis caeteris propius appropinquare; de hac re parum constat; cum autem rubri coloris pauci inveniantur, hocce discrimen haud multum prodesse potest: Inter varios pisces tamen magnum intercedit discrimen, ita ut celeberrimus Professor Home, alios in media, alios in valente materia, collocaverit.

Res occurrit notatu haud indigna, nonnullis scilicet hominibus, post prandium e piscibus confectum, totam cuticulam efflorescentia quadam obtegi solitam. Quodam etiam instinctu (namque latius obtinet quam quod ex more proveniret) homines ducuntur, ut butyrum vel oleum cum piscibus usurpent.

Advertit Montesquieu, quod Arbuthnot antea leviter perstrinxerat, usum piscium magis ad populationem augendam, quam victus alius, conferre. Doctor Reinhold Forster exempla protulit, quae nullam iis inesse talem facultatem ostendere

stendere videntur. Nec quidem Strabo, Diodorus Siculus, neque Arrianus, qui gentes plurimas piscibus vivere solitas delineaverunt, memoriae produnt, eas regiones magis quam aliae hominibus repletas esse. Sic loquitur Hallerus :
 ‘ Non adeo absque ratione monachi, generati-
 ‘ oni non destinati, a Romana ecclesia, aut ad
 ‘ majorem aut ad unicum piscium usum legibus
 ‘ astringuntur.’

S E C T. V.

De varia ciborum diversorum conditione in ventriculo et tubo intestinali.

Si animale cum vegetabili cibum in *ventriculo* conferamus, magnopere discrepare comperimus, cum vegetabilis ad aciditatem, cibus autem animalis ad putredinem tendat. Cibi nonnulli animales, velut juscula, ante digestionem acescunt, et quidam afferunt carnem omnem ante hunc processum quodammodo acescere : Haec autem cibi animalis acescentia nunquam morbida fit ; prava autem cibi animalis digestio
 ad

ad putrescentem potius quam ad acescentem statum referenda; sed magis frequens est, et majorem attentionem meretur, nimia vegetabilium acescentia, quippe quae ventriculum et totum systema notabiliter aegrotari faciat.

Cibus vegetabilis, si conglutinata farinacea excipias, animali *solutu* multo facilior; haec autem tam difficilis solutio, ait Cullenus, non tantum firmae quam viscidae texturae attribuenda, atque exempla extant hominum quorum ventriculi ad leve farcimen digerendum non valerent; frustum tamen carnis porcinae vel bovinae fumo conditum sine ullo incommodo subigere queant. Caro juniorum quam seniorum animalium, atque nonnullorum piscium, solutu est difficilior. Cum domestica animalia plerumque adeo saginentur, feris, quae magis secundum leges naturae degunt, solutu sunt minus facilia: Discrimen inter carnes ferinas et animalium mansuetorum multum pendere videtur ab exercitatione; nam Professor supra memoratus enarrat, se novisse virum generosum qui felium carnem utpote cibum aestimaret, eas autem vegetabilibus pasci et exercitationis expertes esse curaret. Caro avium quarundam aquaticarum, qualia sunt anseres, anates, et horum ad instar, majorem in
 ventriculo

ventriculo gravedinis sensum quam aliarum avium creare solet.

Facilior *mistura* qua gaudet cibus vegetabilis prae animali insignis est; nec quicquam aliud in vegetabili praeter particulas oleosas commistionem retardat; cum autem cibus animalis particulis his oleosis et viscidis quoque abundet, minus facile commiscetur. Magnus ille Cullenus hanc quaestionem proponit, ‘ Might not the
‘ difference of animal and vegetable food be referred to this head of mixture?’ Idem, in *Primis Lineis Praxeos*, haec verba habet: ‘ It
‘ may be considered, whether the fever, so constantly accompanying the digestion of food in
‘ the stomach, be not induced by filling the
‘ stomach, by relaxing its muscular fibres, and
‘ thereby inducing an atony of the extreme
‘ vessels?’ Mihi quidem videtur, hanc posteriorem quaestionem legibus oeconomiae animalis et justis ratiocinii prorsus esse consentaneum. Quaedam ventriculo admota sine ullo stimulo stadium febris intermittens frigidum inferre possunt, uti videre est in calidis regionibus, ubi intermittentes grassantur.

Multum dubitatum est, utrum necne *mistura* cibi diversi conveniat: Haudquaquam videtur
ullum

ullum ex hujusmodi mistura provenire incommodum aut aegre inde *assimilari* cibum, si modica quantitate usurpetur. Quandocunque autem oriatur incommodum, haud abfimile videtur a quadam substantia, quae seorsim molestiam creasset, provenire; atque ex observatis probatur, hujusmodi misturam malis effectibus rei cujusvis nocivae potius occurrere. Nonnulla quidem prostant exempla ubi mistura suis pateat incommodis; ita, verbi gratia, si cum lacte misceantur substantiae acescentes, hoc casu coagulum nimis fortiter inducitur, atque majore vis digerentis gradu, et tempore longiore, opus est: Observatum est quoque, carnem piscium, cum lacte in ventriculo commistam, homini nonnihil molestiae facere. Diversae dapes praeterea, quasi ad gulam illecebrae habentur, si autem hominis epulas ipsius appetitu plerumque gubernari reputemus, concedendum est, ciborum varietatem, paucis quae satis innotescunt exceptis, perquam esse salutiferum.

In intestinis, si quando cibi animalis putrescentia longius processerit, diarrhoeam stimulo suo excitat: Hoc autem raro accidit, atque, etiamsi haec putrescentia minus longe processerit, victus tamen animalis alvum magis liberam quam ve-

†

C

getabilis

getabilis fervat ; haec enim faeculentae plus materiae relinquit, quae intestinis exsiccata stagnat, et alvum tardam efficit : Hinc, qui ex cibo vegetabili alvi astrictione laborant, ad animale confugiendo plerumque levantur ; aciditate autem cibi vegetabilis longius progressa, et cum bile conjuncta, acer stimulus producit. Nonnulli crediderunt, tempestate autumnali inductam fuisse dyfenteriam ex comestis fructibus, praecipue uvis : Doctor Home vero propria comperit experientia nullum esse huic suspicioni locum, morbum ante incepisse quam usui essent idonei fructus, et grassante morbo hos ipsos quam maxime aegris profuisse.

S E C T. VI.

De diversis diversi victus effectibus in sanguinem.

Ex iisdem partibus profecto conficitur sanguis ex animali et vegetabili cibo ortus, atque pro ratione harum tantum discrepat. Caro globulos rubros majore copia suppeditat, sicque majorem tensionem toti indit systemati. Quidam supputaverunt,

ſupputaverunt, ut ſupra diximus, vegetabilium aceſcentiam in vaſa ſanguifera delatam eſſe; nequaquam autem patet ſic ſe rem habuiſſe. Cibus autem animalis ad putredinem adhuc proclivitatem retinet, et, niſi a vegetabilibus coerceatur, magnum brevi putredinis gradum attingeret. Feras igitur vitamus; ea autem animalia uſurpamus graniſ aut gramine veſcentia.

Perſpirabilitatem e diverſis cibus oriundam indagare Sanctorius et Keill, parco autem ſucceſſu, conati ſunt, ita ut parum certi hae de re innotefcat.

Si autem huic indagationi debita adhibeatur attentio, ſummi eſſet momenti, quippe qua conſtaret ſubſtantias, etiamſi minus *nutrimenti abſoluti* poſſidentes, cum autem ſint minus perſpirabiles, ſeu minus aptae quae per excretoria eliminantur, *nutrimenti relativi* nihilominus aequam praebere poſſe quantitatem.

Pronum tamen eſt credere, cibos viſcidos in ſyſtemate ſanguifero longius retineri, alkaleſcentes autem ſtimulo quem praebent citius efferri: Hoc, experimentis a Sanctorio et Keillio inſtitutis, probari videtur; unde ille collegit, carnem ovillam, utpote maxime alkaleſcentem, omnium ciborum eſſe maxime perſpirabilem; hic autem

autem ostreas, quippe quae maxime viscidae, minime esse perspirabiles.

S E C T. VII.

De Nutrimenti in diversis cibis quantitate, quibus haec diversitas pendeat, &c.

GEOFFROY (vide Memoires de l'Académie Royale des Sciences, année 1731 et 1732) in analysi variorum ciborum multum versatus est; deductiones autem ab experimentis, utpote parum accuratis, nec satis saepe repetitis, praetermitti videntur.

Labores et experimenta Beccari, Kessel Meyer, et illius qui Pharmacopeiam Londinensem Gallice vertit, de tritico, multum lucis huic rei affudisse videntur.

Illorum experimentis patet, portionem tritici nutrientem in glutine, vel quod ipsi materiam *vegeto-animalem* nuncupantur, inhaerere: Hujus materiae quantitas magnopere in diverso tritico discrepat, cum nonnunquam tertiam, saepe non nisi quintam, totius partem exaequet.

Experimenta varias glutinis qualitates, quae sequuntur, detexere:

1. Hoc

1. Hoc aqua diffundi tantum, solvi autem non posse, elixum corii instar lentum fieri.

2. Aperto aëre ustum, exuta prorsus indole vegetabili, eandem speciem et eadem producta ac substantia animalis prae se ferre: Inflammat, crepat, tumet, et quodammodo liquefit.

3. Destillatum, salem et spiritum volatilem praebere, circa finem oleum foetidum empyreumaticum, quod oleum animale, quoad omnia, refert, oriri: Carbonem post combustionem haudquaquam a carbone animali discrepare, eodemque haud plus alkali fixi subministrare.

4. Putredini ad instar animalium obnoxium esse, et factorem acquirere e cadaveribus emittitum.

Ex horum quoque illustrium experimentis liquet;

Fermentationem in tritici farina parti mucosofaccharino deberi; haec autem cum portione amylacea et glutine jam jam disceptato omnes farinae partes constituit.

Easdem in omnibus granis, et in omnibus forsitan vegetabilibus, partes contineri, atque pro harum ratione in diversis diversa solummodo discrepare, duce analogia et ratione, est cur credamus.

Ex

Ex variis quoque horum experimentorum phaenomenis, liquido, mea quidem sententia, constat, hoc gluten vegetabile animale gluten quam maxime referre.

Sequentes denique conclusiones deducere haud nefas :

1. Diversos nutritionis gradus, quos materia animalis et vegetabilis suppeditat, ex ratione glutinis in animali majore pendere.
2. Vegetabilia magis quam animalia fermentationi obnoxia esse, provenire ex eo, quod tanto plus materiae saccharinae contineant.

CUM autem nil satis certi habeamus quo de diversis ciborum effectibus et eorum qualitatibus judicare datur, regulas quasdam generales, ex quibus ad idoneum eorum usum dirigamur, statuere oportet.

Cibus insolubilis est,

1. Ex succorum visciditate.
2. Ex sinceri adipis quantitate.
3. Ex alkalescentiae gradu, qui ex colore sanguineo plerumque deprehenditur.
4. Ex cohaesione firmiori.

S E C T. VIII.

De Cibi manducatione.

CIBORUM manducationem nequaquam omittere oportet ; namque, non adhibita huic attentione, crebrae eructationes et alia dyspepsiae symptomata proveniunt : Haec mala subinde ex perperam contritis victus animalis massis, saepius autem ex vegetabilibus, oriuntur. Excipiatur panis necesse est, qui lubricas cibi partes, prius in ventriculum quam rite manducentur, descendere prohibeat ; sicque maxillae motu saliva discernitur, et contritione adjuvante, tota massa magis fluida fit. Utilissimam hanc materiae dieteticae partem silentio praeterire nefas duxissem ; namque haec adeo necessaria est, ut vix extet in orbe terrarum gentis alicujus exemplum quae panem vel aliquid simile non usurpet. Ipsius praeparatio curae nonnihil postulat ; nam si justo minus fermentetur, cardialgiam, justo magis, ex nimio acido catharsin, movere invenitur.

Man-

Manducationi solutio tam stricte innititur, ut homines, illa negligenter facta, cibum eructare coacti fuerint, iterumque manducare, antequam ventriculus eum digerere, aut inde idoneum nutrimentum extrahere, poterit. Mos tabaci fumum inhalandi hanc utilissimam functionem non parum impedire invenietur, utpote quo non ipse solum debiletur ventriculus, verum etiam ut eji-
ciatur succus ad actionem propriam adeo neces-
sarius.

S E C T. IX.

De praeparatione ciborum coquina, &c. &c.

ARS coquina nunc dierum in scientiam adeo complexam evehitur, ut, de variis omnibus ciborum formulis et praeparatis differere, summus labos fieret. Formulas maxime usitatas, cibos nempe assos, coctos, et elixos memorasse sufficiat. Cibi elixi magnam adipis copiam ab aliis partibus liberatam habent, gravedinis ideo sensum in ventriculo movent; aromata multa etiam in eorum praeparatione adhibentur; haec autem
tem

tem ventriculum excitant, quo stimulo non nisi ex frequenti repetitione opus est, et creber horum usus maximum tandem huic organo detrimentum inferre potest; ne dicam quantitatem panis minime fermentati cum elixis saepius usurpatam in praegravando ventriculo partem ferre haud mediocrem. Cibos inter coctos et assos magnum intervenit discrimen; coquendo succi inter fibras extrahuntur, et solutu deinde difficiliores fiunt fibrae: Quando autem stimulum ab assis inditum vitare necesse est, coctos tum exhibere convenit. Quaeri potest, ex cibis assis utrum eos minus vel magis assos assumere conveniat? Qui minus assis solutu faciliores videntur; namque homo Doctori Culleno retulit rem, quoad se ipsum, ita fuisse cum cibis talibus per aliquod tempus degere fuisse coactus. Cibi profecto modice assis vel cocti inde fiunt gratiores et forte salubriores: Crudi certe aut parum praeparati, nauseam movent, et ventriculo ingrati evadunt; omnis autem praeparationis excessus cibos solutu difficiliores reddit. Carnes sale vel fumo conditae minus, idcirco, subactu sunt faciles, vegetabilia omnia coquendo fiunt solutu facilia, hoc ex aëris quantitate, per coctionem evoluta, accidere videtur.

†

D

Qua

Qua chartulae parte de cibis elixis differebam ventriculo nocere multa aromata memoravi; omnia tamen condimenta nequaquam repudianda; nonnulla enim, veluti sal communis, acetum, et his similia, omnino sunt necessaria: Ad salis communis usum omnia fere animalia quasi instinctu quodam impelli videntur, ex quo colligendum est, eum ad sanitatem eorum tuendam plurimum conferre: Auctores fidei intemeratae retulerunt, feras Americanas per plura passuum millia iter facere, ut salem in oris maritimis sponte productum delingant.

Cum *tempora epulas carpendi* more fatis commode gubernentur, verba de hac re facere supervacaneum duco. Leve oportet esse jentaculum, quoniam vires fatis adhuc tonicas haud accepit ventriculus. Prandium omnium epularum valentissimum esse debet; et pars maxime firma, ut salivae secretio promoveatur, primo comedenda. Sit coena levis.

Frigidus usurpari potus oportet; calidi enim liquores fibras musculares ventriculi, et totius inde systematis, debilitant; frigidi contra tonum et vigorem adaugent.

Gradationes a fame ad satietatem et satietate ad famem lentas esse oportet; etsi quidem ea est
humanae

humanae temperiei indoles, ut a statutis regulis sine magna injuria decedere possit : Nisi ita sese res habuerit, malis innumeris e levissimis etiam causis patuissemus. Hoc a cura naturae provida oritur, quae mirum illum consensum varias inter machinae animalis partes intercedentem constituit, quo fit ut alteri parti laboranti altera opem continuo sit latura. Ita, quando nimis repletur corpus, natura evacuationes exitu aliquo molitur, sicque (quoniam succos corporis citius minuere quam augere possumus) morbi ab inanitione profecti majus quam ii a repletionem periculum habent. Intemperantia in edendo magis quam in bibendo periculosa.

Etiam si temperantia omnibus mortalium proficit, tamen mutatio nonnunquam necessaria videtur ; veteres ideo, parum sibi identidem plus solito edendo vel bibendo homines etiam valentes indulgere, suadebant.

P A R S II.

De Potu.

POTUS in genere ad suppeditandum fluidum usurpatur ; solutionem quoque alimenti facilem reddit, evacuationem ventriculi expedit; atque progressum massae per tubum intestinalem accelerat : Si quando enim nimis parce adhibetur potus, fibris longitudinalibus ventriculi et pylori sphincteris contractis, et clauso ipsius orificio, via solido alimento fit impervia. Praeterea potus per totum canalem alimentarium absorptionem chyli promovet, ipsiusque misturam in ductu thoracico facilem reddit.

Ufus tamen praecipuus est, ut locum fluidorum, quae per varia secreta et excreta continuo deperduntur, supplere possit.

Hae sunt modicae potus quantitatis effectus ; nimia autem assumptus copia nonnihil incommodi infert ; solidas partes laxat, et massam alimentariam nimis liquidam efficit, cumque fluiditas

ditas celeriore[m] ipsius per intestina descensum promoveat, prius sic evacuatur, quam totum extrahatur nutrimentum.

S E C T . I.

De Aqua.

OMNES jam de potu enumerati effectus ex aqua sola provenire possunt, et quando nulli alii desiderantur effectus, alii liquores ad potum pro ratione aquae contentae solummodo conveniunt.

Ea quae mollis est aqua, vel quae nulla impregnatione imbuitur, optime ad usus nostros comparatur, etsi qualitas antiseptica aquae durae a Celso tribuitur, “Aqua dura, id est, quae tarde putrescit.”

S E C T. II.

De Liquoribus Fermentatis.

Hi *Cerevifias* et *Vina* amplectuntur.

Cerevifiae in tenuem, valentem, et *Porter* dividuntur.

Cerevifiae tenues aëri fixo iis inhaerenti prae-
cipuas debent qualitates, et ad fitim restinguen-
dam, quippe quae dotibus stimulantibus secretio-
nem salivae promoveant et aciditate putredinem
prohibeant, optime constituuntur; nec non con-
juncta cum bile earum acescentia stimulum fa-
tis acrem praebent.

Facultatibus quoque *valentes* gaudent iisdem
ac *tenues cerevifiae*; cum illae autem magnam
nutrientis materiae copiam possideant, usus cer-
tos intra limites coerceri debet: Ob tenacitatem
robustis et labori deditis magis conveniunt.

Liquor *Porter* dictus qualitatis minus esse nu-
trientis quam valens *cerevifia* videtur, quod ex
torrefacto hordeo, ac proinde glutinis portione
deperdita, pendere supputo.

Hi

Hi omnes liquores vinum, quoad stimulum et inebriationem, quodammodo referunt; hae qualitates partim ex aëre fixo, partim ex spiritu vinoso per fermentationem producto, provenire videntur: Cerevisia quae tenuis est stimulum tantum fugacem praebet, dum glutinosae effectus per tempus longius quam uvae etiam succi in systemate nonnunquam maneant.

Vinum modice usurpatum optimum quod novimus est cardiacum. Ventriculum quam gratissime stimulat, digestionem promovet, et corpus ad varias functiones reficit et vegetum reddit. Nimius autem ipsius usus debilitatem infert, et gravium malorum saepe fons est et origo. Quantitas usurpanda ex consuetudine et peculiari corporis statu multum pendeat.

Quaenam vina diversa diversis conditionibus conveniant, ex dotibus tantum singularibus judicare datur.

Dulcia vina nutriunt et alvum solvunt.

Acida parum nutrimenti continent, et laxantia sunt.

Austera antiseptica sunt, astringentia, et tonica.

Nonnulla *fortem spiritum* cum aliis partibus, velut *tartaro*, &c. continent.

Alia fortem spiritum sine ullis aliis valde manifestis dotibus complectuntur,

S E C T. III.

De Spiritu destillato.

SPIRITUS destillatus dotibus vini quodammo-
do gaudet ; hisce autem sequentibus discrepat :
Acido vinorum, quod spirituosus saepe faculta-
tibus optime adversatur, caret. Hic quoque vi-
nis magis est narcoticus, et effectus in systema
nervosum peiores edit : Aëre quoque fixo, cui
plurima vina qualitates vivificantes et refocillan-
tantes praecipue debent, destituuntur.

S E C T. IV.

De Thea.

CUM hujus plantae infusum tantam in mate-
ria diaetetica partem sustineat, paucis hic loci de

ea

ea differere haud alienum fit. Ad ordinem naturalem coadunatarum, cujus ordinis omnes plantae sunt narcoticae, refertur. Qualitas haec venenosa colonis Indicis bene innotescit, ita ut eam aëri per anni spatium, quo pars nociva evaporet, exponant. Post hanc etiam impensam curam videmus hac qualitate ad magnum gradum potiri; effectus enim sedantes edit, vim nervosam et fibrarum muscularium tonum immittit, et morbidum sensibilitatis et irritabilitatis statum per totum corpus infert. Effectus hi nocivi aqua tepida affatim usurpari solita non parum augentur. Apud vulgus mos spiritus destillati portionem in infusum immittendi obtinuit, malis theae effectibus occurrendi consilio; hoc autem ad consuetudinem vere exitiosam pocula spiritus imbibendi via patet.

Theae forsan qualitates noxiae in calidis Indiae vel Chinae regionibus tantas vires non folent exerere, in iis plagis irritationem demulceat, lassitudinem aestu oriundam dulcissime relevet, atque velut diluens gratissimum evacuationes tenuiores promoveat, et, passu celeriori systema percurrente, vires narcoticas multum nocere haud patiatur.

†

E

In

In nostra autem regione, nullam habet his similem dotem quae narcoticis qualitatibus adverte-
fetur.

Ex Sydenhami et Pringelii observatis patet, morbos putridos minus esse quam olim frequen-
tes : Theae autem bibendi mos, utpote quo magna consumatur sacchari copia, eorum frequentiam multum imminuisse videtur.

S E C T. V.

De Coffea.

DE hujus grani in corpus effectibus multi auctores discrepant : Quidam, nutrientes possidere facultates, alii nullatenus nutrire, atque theae sedativos effectus referre, asserunt.

Quo melius hac de re certior fierem, optima gaudens sanitate, sextarium infusi coffeae validioris potavi. Duabus circiter post horis, vertigine, sopore, et lassitudine correptus sum ; diebus autem proximis et per mensem fere sequentem motu extremorum leviter convulsivo, choream

Sancti

Sancti Viti, minore autem gradu, referenti, afficiebar. Duobus circiter postea mensibus infusi sextarium, tertiam partem si excipias, imbibi; et vertiginem, soporem, et lassitudinem, minime autem convulsiones, expertus sum; quod ex minore quantitate posterius assumpta pendere videtur.

Hujus infusi antea tantam quantitatem, ut admodum mali inde oriri possent effectus, assumere nunquam solebam; semper autem memet sentiebam ex eo magnopere debilitatum. Nonnulli quoque sociorum mihi retulere, ex larga quantitate usurpata eosdem se sensisse effectus.

Non hinc temere concludendum volo, coffeae vires magis theae sedativos possidere, cum propter hujus usum frequentem judicare non detur; coffeae tamen aequae ac theae, veluti haec posterior ad nos deportatur, sedativam esse, ipse ut credam, inducor.

S E C T. VI.

De Cacao.

POTUS ex hujus nucleo gratus efficitur.

Ex

Ex oleo et substantia quadam farinacea conflatur; haec ambo autem cum aqua misceri possunt, et liquorem blandum, et haud mediocriter nutrientem, efficiunt. Hinc, quando inter jentaculum potum refocillantem exhibere volumus, ad usum cacao optime comparatur. Multum in praeparando curae impendi debet; namque aliter pars oleosa a farinacea secernitur, summo liquori innatat, et in hoc statu libero, concoctu est difficillima.

P A R S III.

De Cibi diversi in mentem effectibus.

CIBI diversitatem in mentes hominum effectus edere diversos plurimi, haud parvi nominis, negarunt; praecipue vero poetis placuit in risum vertere et ludibrium eos qui rem ita se habere censerent: (Vide Pope's *Memoirs of Martin Scriblerus*, and *Prior's Alma or Progress of the Mind*.) Attamen auctorum, fidem maxime merentium, et antiquiorum et recentiorum

orum testimoniis, cibi in mentem effectus admodum esse insignes, videtur.

Gentes apud antiquos maxime bellicosae et feroces victu animali vescabantur. Ætolos sic vixisse Thucydides, Hunnos et Saracenos Ammianus Marcellinus, et Scythas Pomponius Mela, apud hodiernos sic vivere Tartaros plerique auctores, et nonnullos Indorum Americae nationes Carver, referunt.

Hindoi Indiae orientalis, qui victu plerumque vegetabili vivunt, exempla animi mitis et mansueti insignia extant. De his effectibus inter alios auctores sic loquitur Hallerus: “ Mihi utique
 “ videtur, quemque populum aratorem mitio-
 “ rem esse, dein pastorem, ferocissimos populos
 “ venatores esse, qui solis pene carnibus vivunt.”

Auctor elegans, in epistola ab India orientali, haec verba habet, “ The strong lines in the cha-
 “ racter of a Hindoo are effeminacy and ava-
 “ rice ; in a Tartar, cruelty and ambition.” Quintus Curtius de Babylonicis ait, (qui carnivori erant), “ Nihil urbis ejus corruptius mori-
 “ bus, nihil ad irritandas illiciendasque immo-
 “ dicas voluptates instructius, liberos conjugef-
 “ que pro stupro coire, modo pretium flagitii
 “ detur, parentes maritique patiuntur.”

Peculiares

Peculiares quoque qualitates Ichthyophagis attribuebantur; nam a Diodoro Siculo dicuntur apathia quadam, non solum ad animi operationes verum naturales etiam appetitus, imbui. Hoc, a vitae ratione, magis quam cibo, pendere videtur: Opinionem tamen hos magis solito esse prolificos non parum infirmit.

Nonnulli supputaverunt, hos diversos effectus cibi varietati attributos ex coelo vario oriri:

Qui autem Indiae continentem incolunt, mansueti sunt, benevoli, et misericordes, dum contigui ipsis insularum incolae animi indolis prorsus sunt contrariae; nam Japonici, qui terras eodem latitudinis gradu incolunt, feroces sunt et ultioni crudelitatisque dediti. Arbuthnot plura memorat exempla quae suae observationi subiecta fuerant, in quibus homines ex vegetabili regimine placidi et mites evaderent. Hos fieri effectus ex analogia a brutis desumpta probatur, cum horum ferocissima sint carnivora, atque haec etiam vegetabilibus pasta mansuescunt et dociles evadunt; neque vero est absimile leonem ab Hannone, qui hominum primus hoc animal tractasse dicitur, hoc modo fuisse mansuefactum.

Neque diversa diaeta suis in *intellectum* et *imaginationem* viribus caret. Vinum, verbi gratia,

a plerisque hac de re auctoribus, velut patronus ingenii et ardoris poetici, iuste habetur. Sic nos-
ter Miltonus :

“ Quid quaereris refugam vino dapibusque poefin?
“ Carmen amat Bacchus, Bacchus carmina amat.”

Pomfret quoque,

“ Wine whets the wit, improves its native force.”

Et Ovidius se in exilio vini usu prohibitum fuisse
conqueritur,

“ Impetus ille facer, qui vatum pectora nutrit,
“ Qui prius in nobis esse solebat, abest.”

Rationem perquam accuratam vini effectus et
progressivi ordinis, queis in animum agit, Aristoteles in Problemate § 30. protulit. Hallerus hac de re verba habet, “ Bacchi et Apollinis
“ furor unus est idemque;” et Hoffmannus advertit, “ non inepte vinum poetarum equum
“ dictum esse.”

Nimius cibi animalis usus ingenii conatibus
et mentis laboribus profundis inimicus est. Huiusmodi in exemplum, magnus ille Newtonus solis vegetabilibus vixisse dicitur, dum eximium de opticis tractatum conscriberet. Lusibus dediti, quorum mentes ad calculos accuratos ineundum paratae esse debent, et qui ad verforum insci-
tia

tia sibi prodesse volunt, magnum ex cibi animalis prandio incommodum percipiunt. Hos effectus nequaquam negligebant antiquiores; nam Theophrastus observat, “ magnam cibi animalis quantitatem comedere rationis et cogitationis facultates impedire, et intellectum tardiores et hebetiorem reddere.”

Quamvis autem cibus vegetabilis internis mentis laboribus amicus est; nimia tamen ab animali abstinencia homines ad grandes in rebus externis conatus ineptos reddit, in fluctuationem, diffidentiam, et timorem proclives facit; neque variis vitae muneribus, quae fidem, iudicium, et audaciam postulant, fungi patitur. Verum enimvero magnus ille Cullenus observat, statum mentis maxime desiderandum firmitatem et vigorem corporis aliquanto minorem comitari solere, atque verbis perelegantis Horatii finem facere liceat:

“ Quae virtus et quanta, boni, sit vivere parvo,
 “ Discite non inter lances mensaeque nitentes:—
 “ ———— Vides, ut pallidus omnis
 “ Coena refurgat dubia? quin *corpus* onustum
 “ Hesternis vitiis *animum* quoque praegravat una,
 “ Atque affigit humo divinae particulam aurae.”